

## 3.

one Arminianismi cap. 20. th. 3. Docet enim ibi, re-  
 te qvidem Arminianos improbare Socinianam doctri-  
 nam, qva docetur, Deum s̄æpenumero in hac vita gra-  
 tiæ ostium sic occludere, ut nulla veniæ aut misericor-  
 diæ divinæ recuperandæ spes sit; sed male negare eos-  
 dem, qvod sententia hæc adeo falsa & noxia sit, ut to-  
 lerari non possit; & pejus in eo peccare, qvod eos,  
 qui hanc sententiam fovent, si rationibus ab ea abduci  
 nequeant, judicio suo frui finant. Rationem, cur hæc  
 Sociniani erroris tolerantia in Arminianis probari non  
 debeat, hanc subjicit; qvod certissima hæc sit ad despe-  
 rationem via, si credas aut perswasus sis, Deum gra-  
 tiæ ostium nonnullis hominibus ita penitus occlude-  
 re ideoqve non possit non ista sententia noxia &  
 damnabilis haberi. Et qvomodo, inquit, tolerabitur illa  
 doctrina, qva gratia Dei labefactatur & immisericor-  
 diæ calumnia benignissimo Domino nostro struitur,  
 ut de Novatianis, erroris hujus autoribus, qvondam  
 professus est Eusebius Lib. VII. Histor. Eccles. cap. 8.  
 qvodnam asylum supererit miséris peccatoribus, ad  
 qvod se recipiant, siqvidem semper metuendum sit  
 ipsis, ne sint ex eorum numero, qvibus gratiæ ostium  
 penitus sit occlusum. Haec tenus *Calovius*. Inter Ponti-  
 ficios sententiam de gratia induratis adhuc viventibus  
 penitus negata non solum erroneam, sed & impiam  
 pronunciat *Dominicus à Soto*, adductus ab *Autore dis-  
 punctionis notarum* pag. 305. cum ista sententia homi-  
 nes viventes diabolis æqviparet, eosqve in scopulum  
 desperationis abigat: Qvin etiam errorem hunc bla-  
 sphemum esse dicit & impium in Christi meritum, qva-  
 si non esset redemptor universalis. Notamus hoc  
 contra *Bescheferum*, cuius modestia nimis liberaliter à

A 2

non-